011

009

015

005

020

060

110

Ende

Anfang

DEDICATIO.

Ad eundem

IMP. AUGUSTUM,

DOMINUM.

EGO verò, Cæsar Sacratissime, Dedicatione Operis, in quo per annos XXVI. sudavi, jam M^ti V^ræ factâ, etsi, veluti qui alienâ vehitur navi, in idem necessariò littus exscensionem facere videor, ad quod puppis appulit: privatas tamen habeo rationes, quibus motus, etiamsi mea solius fuisset electio, eundem in portum vela mea fuerim directurus. Præcessores M^tis V^ræ, sacratissimæ memoriæ, RUDOLPHUM & MATTHIAM, Patronos habui: si ab his mihi demandatorum officii muniorum rationes, quas reddere non potui superstitibus, reddo Successori; id, opinor, rectè fit & ordine. Quid hujus non debeo Illi, qui etiam stipendia vetera solvit, quæ debebant Antecessores? Quid non Illi, sub cujus Imperio Tabulas istas, inde à TYCHONIS obitu imperfectas, pertexui, consummavi, perfeci? Quid non Illi, qui proposita mea, hæredúmq; TYCHONIS, de Tabulis edendis, rata habuit, auctoramento sanxit; Qui desiderium suum editionis maturimæ, Majestate in comitatem temperatâ, percontando demonstravit; Qui ut Imperatoria liberalitate numerarentur mihi sumptus in opus necessarii, magnificentissimè mandavit?

Nova sunt ista: vertar ad vetustiora, primámque curarum & speculationum, quæ de meo collatæ sunt in Tabulas istas, originem ab ipso repetam ovo.

CÙM ante annos undetriginta GRÄTII STYRIÆ, quæ tunc Aula FERDINANDUM Archiducem populis promittebat Imperatorem, muneris nescio quid offerrem Astronomici: memini me, plenum fiduciâ de successu in hac facultate (tantum poterat unius Mysterii Cosmographici recens tunc inventio) illud unicè abs Ser^te V^ra petere; uti mihi observationes siderum fidas quærenti, manus porrigeret auxiliares. Nondum tunc TYCHO suas ad me missitabat literas; nondum in BOHEMIAM ille ascenderat. Nimirùm sensum aliquem fati jam jam imminentis, præ se ferebant vota mea. Biennium non plenum fuit lapsum: cùm TYCHONIS Obserservationibus (quibus fide & subtilitate nullæ pares) cùm TYCHONE ipso, profectus ad eum in Boëmiam, sum potitus. Votum hoc sub ipsa Ser^tis V^ræ gubernationis initia, tanquàm sub ejus auspiciis, concepi; spes meas ob serenissimos ejus oculos adduxi: quin igitur & eventum fœlicem, qui nunc tandem consecutus est, ejusdem conspectui sisterem, dedicarémq;? cùm

illum

© Stadtbibliothek Ulm, 2018. Signatur: MNV 596;